© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at



achtungen in den Berichten der Deutschen botan. Gesellsch., 1896 und 1897, niedergelegt. — Vortragender demonstrirte die betreffende Art sowohl makro- als mikroskopisch.

Infolge zu vorgeschrittener Zeit musste der weiters auf der Tagesordnung stehende Vortrag verschoben werden.

---

Francisci a Mygind,
Consiliarii Caesareae et Regiae Majestatis Austro-Hungariae,

# Observationes Critico-Botanicae,
seu
# Epistolae ad Linnaeum scriptae.

E genuinis, quae Londini apud „Societatem Linneanam" asservantur, manuscriptis descriptas
exhibuit
**Carolus de Flatt.**

**Pars secunda.**

(Eingelaufen im September 1895.)

---

## III.

Perillustri et Amplissimo Viro
D° Carolo à Linné,
Equiti Aurato de Stella Polari etc.
S. D. P.
Franciscus à Mygind.

Quo blandiores sunt litterae Tuae ad me die 27 Mensis Martii datae, eo magis meam sentio tenuitatem. Si quid autem est in me propter studium herbarium Tuis laudibus dignum, id omne Tibi acceptum refero, atque hinc gaudeo maxime, plantas, quas misi, Tibi fuisse gratas. Optarem eas nunc coram habere, ut Tuas dilucidationes recte intelligerem, et meam opinionem planius aperirem. Ubi certitudo deest, conjecturis uti liceat!

1. *Thlaspi montanum* lectum fuit in Monte Badensi, ubi suum olim legerat Clusius; provenit autem multis etiam aliis locis, majus, et minus.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at



2. *Salviam* nullam novi, quae cum Barr., ic. 187, et Tua descriptione *Disermatis* satis conveniat; hinc mihi manet dubia.

3. Inter *Rosas*, quas misi, fuisse recordor *Rosam pumilam* Clusii, cujus specimen non potuit non totam exhibere stirpem, plerumque unifloram.

4., 5., 6. *Inularum* Austriacarum species hae sunt: *Oculus Christi, Britannica, Dysenterica, Pulicaria, Salicina, Hirta, Germanica,* et *Ensifolia.* Ignota plane mihi est *I. odora. Squarrosam* putavi me aliunde habere, plantam scilicet, cui aliquomodo conveniret icon Pluken., Tab. XVI, Fig. 1, quae citatur in Sp. pl. Sed cum in litteris nunc adducas ejusdem Tab. Fig. 2, novae mihi oriuntur tenebrae. Plantam istam mittere non potui, cum unicum haberem specimen. Harum, aliarumque plurium stirpium differentia specifica consistit in textura, forma, habitu, et proportione partium, quae vix nisi plena descriptione, et bonis iconibus exprimentur. Hac methodo plantas Austriacas aliquando vindicabit Jacquinus noster, si meum consilium sequi pergit. *Inulam Britannicam* pessime pinxit Oederus in Flor. Dan. foliis omnibus lata basi ad caulem sessilibus. Inferiora semper sunt petiolata, seu in petiolum longe decurrentia; qua nota differt a multis aliis, calyces autem praecipue ab *I. Oculo Christi. Inula hirta* plerumque est caule unifloro, sed si ramos aliquando emittit, illi florem primarium crescendo tandem superant. *Inula ensifolia* saepe est multiflora, ut ex speciminibus cernere potueris, etc. Verbo dicam: ad cognoscendas et distinguendas plantas vasti generis, nec satis certi, plura requiruntur, quam, quae solo nomine definitivo contineri possint. Tria sunt necessaria: nomen appellativum immutabile, succincta descriptio, quae sit loco demonstrationis, et bona figura, quae vim et claritatem verbis addat. Haec est Methodus Mathematica, sine qua res adeo problematicae demonstrari nequeunt.

7. *Campanula* sub nomine *Echioides* in Tuis speciebus nulla est. Dedi forte illam, quam hic pro *C. Sibirica* habemus, vel forte *Alpinam,* vix *Thyrsoidem.* Per omnia obsecro, ne ad imitationem Halleri nomina mutes. Tua mihi sunt sacra et sancta! Tibi erit jus nominandi, sed non destituendi!

8. *Rosa Eglanteria* omnium certe diversa est a *Rosa lutea.* Vid. nunc etiam Murray, Prodr. Gött., p. 159. In foliis *luteae,* quae potius glauca quam rubiginosa sunt, ego nullum percipio odorem. Origo multorum malorum fuit varietatum credulitas. Utcunque fuerit, *Eglanteriae* antiquorum non possunt simpliciter tribui flores lutei. Sed, si sunt varietates, variat floribus luteis, et purpureis,[1]) multo minoribus, foliis glabris et rubiginoso-glandulosis, inodoris et odoratis, germinibus globosis, et ovatis etc.[2])

9. *Geranium* hoc vix unquam inveni magis pusillum, quam specimen, quod misi. In foliis nihil video lineare acutum. Icon Vaillant. Par., Tab. XV, Fig. 1, quae relata fuit ad *rotundifolium,* pro nostro bona est foliis et flore. Flos autem plerumque purpureus, coeruleum nondum vidi.

10. De restitutione *Veronicae fruticulosae* gaudeo.[3])

---

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 399.
[2]) Ibid., p. 565. [3]) Ibid., p. 316.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at


11. *Cheiranthus Erysimoides* quinam sit, nescio. Id tantum monebo, *Leucojum Sylvestre* Clusii aut esse tuam *Cheiranthum alpinum*, aut *Cheiranthi* speciem caule simplicissimo, foliis lineari-lanceolatis, integerrimis, glabris, ab omnibus aliis diversam. Ob solam glabritiem autem in hoc, et folia inferiora, in altera Allionii interdum nonnihil denticulata, varietatem non abhorrerem. Definitio foret: *Cheiranthus caule simplicissimo, foliis lineari lanceolatis, subintegerrimis;* addita nota varietatum. Plantas hirsutiem exsuere, et folia denticulos seu crenas aliquot vagas assumere nihil novi est; et ejusmodi metamorphoses pro diversitate loci fieri possunt sine miraculo.

12. De *Rosa alpina* nullum mihi fuit dubium. Hinc autem dubito me illam dedisse, ut Tibi exhiberetur. Anne forte alia est? Defectus spinarum in *Rosis* non certo evincit speciem. Possem monstrare *Rosam spinosissimam* sine spinis, vetustam nempe, juniorem nunquam.[1])

13. Si *Orobum angustifolium* nostratem posueris juxta *O. tuberosum*, videbis statim differentiam, praecipue in radice. *Orobi* nostri radices sunt napiformes, *Asphodeli*, nec radix simplex tuberosa, *Astragali*. Taceo colorem floris et reliqua. Utinam in credendis varietatibus, et ad depellendam harum superstitionem, certos aliquot haberemus articulos fidei!

14. Quaenam fuerit *Silene*, nunc non memini.

15. Si plures *Digitales* sub nomine *luteae* conjungere placuerit, non morabor, nec valde obstabo, dummodo definitio omnibus exacte conveniat, et varietates putatae describantur, additis aliorum synonimis. Tutius tamen mihi videtur distinguere, quam confundere. Si unam viderim nasci ex semine, alterius, tum demum certo credam esse varietates: et tamen ejusmodi varietates etiam notari merentur in historia naturali; non coeca, sed saltem historica fide nitatur religio Florae.

16. *Lepidium Chalepense* mihi ignotum est. In Austria provenit abunde *Draba 1 vulgaris* Clusii, quae Tibi est *Cochlearia Draba*.

17. et 18. De *Melampyro pratensi*, et *Daphne Cneoro* nihil est quod dicam; et potuisset Dus Ferber sibi servare.

19. *Ajuga* haec variat magnitudine, et colore floris. Si *Genevensis* diversa est, nescio differentiam, et ea caret Austria, aeque ac *pyramidali*.[2])

20. *Arenariam junceam* in Tuis nullam invenio. Exhibuerim forte plantam Vaillant. Par., Tab. II, Fig. 3, quam ad *Saxatilem* retulisti, vel eam forte quae nunc est *Alsine mucronata*.

21., 22. et 23. Inter has *Euphorbias* sine dubio fuit ea, quae *Tithymalus* Nr. 18. Gerhar., Prov., tum nova species Austriaca, ut mihi videtur, caule multoties dichotomo, floribus solitariis axillaribus, sessilibus: forte etiam *Tithymalus characias III Austriacus* Clus., Hist., 2, p. CLXXXVIII. Cur nullam mentionem fecisti de *Vicia* Nr. 5. Gerhar., Prov., p. 497, cujus Specimina certe dedi Do Ferber Tibi tradenda?

---

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 399.

[2]) Ibid., p. 408.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at



25.,[1]) 26., 27., 28. et 29. *Cytisos* Clusii vindicabunt tandem posteri, nisi id praestiterit Jacquin, quem ea de re satis monui. *Cytisus* ille, qui maxime supinus est, flores fert maxime laterales, interdum longa serie, nec unquam umbellas terminales. *C. pilosum* appellarem eum, qui gerit umbellas terminales, ceterum *hirsuto* similis, etsi minor.

30. Nescio, quam plantam intelligas sub nomine *Cheiranthi Erysimoides?*

31. *Senecio Jacobaea* vere multum variat; sed corollulae radiantes semper tredecim.

32. Variabilis planta ista *Crepis Tectorum* apud nos crescit etiam in pratis succulentis, in sterilibus raro, in tectis et muris nunquam.

33. Est *Absinthium Aust. tenuifolium* Clus., Hist., I, p. 339, ubi icon bona. Hanc pro *Artemisia maritima*, me invito, induxit Dus Jacquin in Enumer. Stirp. Austr. Plantam maritimam Clusio non fuisse ignotam confidi.

34. *Serratula Tinctoria* variat omnino foliis integris; adeoque non potest simpliciter definiri foliis lyrato-pinnatifidis.

35. *Carduum tuberosum* Jacquini forte exhibui, quem ad *canum* tuum retulisti: sed tuam descriptionem ex foliis in totum decurrentibus nescis cum Jacquini conciliare.[2]) Has plantas aliquando dilucidabit ipse Jacquin, cui novam adhuc speciem nuper indicavi, nec a Clusio observatam.

36. Nullius generis species mihi magis obscurae sunt, quam *Caricis*, nisi Hallerum sequar, quod non facio libenter, quia certa nomina deficiunt.

37. *Atriplicem* hanc inveni in Istria.

38. De *Trifolio ochroleuco* non dubitavi. Halleri descriptio quadrat. Sed valde hallucinatur Cranzius, qui varietatem *Trifolii montani* esse contendit. Botanicorum subtilitas ex speciebus varietates, et ex varietatibus species facit ad lubitum. Judicio opus est.

39. Persuasissimum mihi est, plantam, quam misi, esse *Carduum caule crispo* Joh. Bauh. et *Carduum spinosissimum angustifolium vulgarem* Casp. Bauh., Pin., p. 385. Hunc semper habuimus pro Tuo *Carduo crispo*, donec in novis editionibus diceres folia *subtus ex albido tomentosa*. De hac nota adeo distincte oculos feriente nullam mentionem fecit Joh. Bauh. *Carduus Acanthoides* quid sit, nescio, et ignorabo, donec ea de re inter Te et Hallerum convenerit. Scientiam botanicam discere, non docere cupio. Vereor autem has plantas saepius confundi cum *Carduo palustri*, et *Arctio personato*. Posterius in Saxonia pro *Carduo crispo* haberi me docuit specimen a Do Ferber missum.

40. Denticuli staminum in *Alysso*, mihi videntur notam generis constituere valde obscuram, et nunc meis oculis sexagenariis inutilem. Ob glandulas in Cruciformibus, totam hanc classem invertit Scopoli. Vereor, ne quis tandem ex poris, vel monadibus haec genera tradat. Classis haec olim erat nimis facilis. Nunc nodum in Scirpo quaerimus.

41. Vix dubitavi de *Iberi amara*.

---

[1]) Vide Supplementum A, sub Nr. 24.

[2]) Linnaei, Mant., II, p. 461.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at



42. *Genista Tinctoria* nimis est in Austria vulgaris, quam ut eam cum aliis confunderem. Planta, quam misi, fuit ex horto Imperiali, ubi altitudinem humanam etiam in ollis attingit, et caulem quasi paniculatum monstrat. Cetera ex specimine apparent, praeter fructum, quem nondum vidi. Semina dicuntur a Te ipso missa fuisse pro *Genista* quadam Sibirica.

43. Conjeci, esse *Sisymbrium Loeselii.*

44. *Teucrium IIII* Clusii, Hist., I, p. 349 pro varietate *Veronicae latifoliae* non admittit Dus ab Haller. Tutius itaque distinguitur. Nostrates pro *latifolia* ipsa habuerunt. Ego lubenter me doceri patiar, dummodo recte, et distincte edocear.

45. Qualis fuerit, haud memini. Hoc tantum scio, me non putasse, *Veronicam incanam*, qualem apud alios vidi, inter meas esse; quare etiam plantam aliunde arcescere statueram.

De *Houstonia* autem certus sum, praecise talem esse, qualem descripsi.[1]) Recens, et nativo humore madida, mihi ab homine Botanico plane ignaro forte fortuna allata fuit inter muscos, aeque viva, ac si in loco, ubi lecta fuit, adhuc viguisset. Eo tempore ego de tota *Houstonia* nihil scivi: ex hac planta genus mihi innotuit, nec aliam speciem unquam vidi, nisi apud Plukenetium in icone. Hoc Tibi debetur, Vir Illustris, et Tuo Systemati, ut maxime obscura elucescant.

„Ipse per ignotum posuit vestigia princeps!"

Nunc autem ratiocinio utar: Germen aut est inferum, aut superum: si inferum, non erit difficile, illud, saltem lente vitrea ad lumen exposita, etiam in planta sicca, cernere: atqui si non est inferum, erit certe superum: ergo species *Houstoniae*. Testem appello Dum Ferber, cui id clare monstravi. *Asperula Cynanchica* apud nos est nimis vulgaris, quam ut mihi sub quavis facie imponat; neque enim multum variat, et profecto parum tuis laudibus dignus forem, si eousque nubem pro Junone haberem. Haec unica planta est, quam, cum viderem, in aliis multis mea tecto passu lustrari vestigia, mihi vindicare volueram, et ideo Nostratibus, etiam amicissimo Jacquino de ea hactenus tacueram, ut Tibi totam consecrarem. Ego tamen nullibi nominari cupio. Sed si plantam proponis, rogo, ut dicas, missam fuisse ex Austria ab homine, qui se subscripsit:

„Bene vixit, qui bene latuit."

Hoc symbolo forte aliquid, nomine dignum nihil feci. Arrogantiam in aliis spernere, et in me deprimere didici.

*Silene quadrifida* videtur esse a *Lychnide* nostra *quadridentata* planta plane diversa. Nostram novi, alteram non. Nostra nunquam trigyna, saepe pentagyna, et toties forte tetragyna est. Numerus naturalis itaque quinarius ob petala semper quinque.[2]) Differentiam nostrae nunc etiam agnovit Hallerus, Hist., Nr. 918. Non tam Halleri auctoritas, et fama, quam candidi Seguierii

---

[1]) Vide Supplementum B, p. 593. Quandoque bonus dormitat Homerus. Conf. C. de Flatt, „Zur Geschichte der *Asperula Neilreichii* Beck" in Verhandl. der k. k. zool.-botan. Gesellsch. in Wien, Bd. XLV (1895), S. 353—355.

[2]) Linnaei, Mant., II, p. 385.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at


fides apud me est magni ponderis. Iste vir, in antiqua pariter ac nova scientia botanica versatus, majores meretur laudes, quam quae illi tribuuntur. Nunc illum invida premit senectus. Te quoque miror, et suspicio, vel ideo maxime, quod aliorum monita non contemnas; et majori gloriae duco, Tibi, trium Regnorum Naturae Principi, quam Caesari esse a consiliis.

Te diutissime salvum, et superstitem esse voveo Tui devotissimus.

Bene vixit, qui bene latuit.

P. S. Doleo me non vidisse Palman *Cycas* in Horto Imperiali aliquoties florentem inter manus invidi et rudis Hortulani, qui nulli Botanico eam voluit monstrare, nisi procul, et cujus nemo tolerare potest rusticitatem. Sunt autem duo Horti Imperiales, et totidem Hortulani, unus vir omni nota egregius, et honestus, alter, nescio cui animali comparandus.

*Panicum sanguinale* et *Dactylon* pertinent omnino ad genus *Paspali;* in priore autem non video, quomodo vaginae foliorum sint punctatae. De *Hypni* et *Bryi squarrosum* fuerit, cujus misi specimen.

*Scheuchzeria* deficit meo Herbario. Pro hac mihi aliquando *Anthericum calyculatum* misit Scopoli, qui hoc etiam pro *Scheuchzeria* descripsit in Flor. Carniolica. Hunc errorem lubenter condono; nam etiam mihi, et aliis videtur esse species *Scheuchzeriae.* Nihil video in illa quod non exacte quadret characteri dato generis. Bracteas minutissimas sine dubio habes pro calyce, alius calyx certe non adest, sed Perianthium sexpartitum, foliolis oblongis acutis, persistentibus, etc., ut in definitione.

## IV.

Perillustri et Amplissimo Viro

D° Carolo à Linné,

Equiti Aurato de Stella Polari etc.

S. D. P.

Franciscus à Mygind,

Caesareae et Regiae Majestati a Consiliis Aulae Supremis.

Cum litteras Tuas die 4ta Aprilis exaratas 10ma Maji acciperem, folia explicaverant omnes arbores et frutices Austriae, praeter solum *Rhamnum Catharticum,* qui nec ultra triduum postea moram traxit. Revixit simul *Vitis vinifera,* et 15ta Maji *Morus nigra.* Fructum monstravit *Ulmus campestris;* defloruerat *Anemone Pulsatilla;* deflorebat *Primula Veris officinalis,* ea nempe, cujus calyx eminente limbo corolla concavo duplo vel triplo longior est, umbella florum in unum latus conversa: seu *Primula Veris flavo flore elatior* Clusii, Hist., p. 301; florebat *Ajuga reptans;* florere incepit *Aesculus Hippocastanum,* et simul *Symphytum officinale;* proxime sequebantur *Crataegus Oxyacantha,*

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at


et *Sorbus Aucuparia;* nondum *Rosa canina.* Stirpes, quae ante hanc florent, soleo pro Vernalibus habere. Si mihi esset horti alicujus botanici facultas, totam florendi seriem per aliquot annos observarem, ut desiderio Tuo melius satisfacerem: nam ex uno anno de Climatum differentia vix tutum ferri poterit judicium. Tempestatibus, maxime in his regionibus, saepe mutatur Clima. Hoc anno ante Mensem Majum omnia rigebant, cum Majo, flante Euro, omnia simul revixerunt. Nunc pro pluvia impetranda preces instituuntur publicae. Series florendi tamen in eodem loco semper fere eadem est, et ex hac posset ad cognoscendas plantas idigenas adornari nova methodus. Quodlibet Systema, quod me citius et certius ducit ad notitiam alicujus stirpis, mihi gratum est. Saepe plantas prosecutus sum juxta methodum Sauvagei ex foliis. De generibus, quae non existunt nisi in mente humana, parum sollicitus, species per se existentes in individuis quaero: quas cum cognoverim, nascuntur interdum alia genera in mente mea. Systema Sexuale ex numero staminum, et pistillorum certe optimum est: sed genera naturalia non constituit ubique: resultant haec ex plurium partium convenientia, non autem ex levi quavis differentia. Atque hinc est, quod omnes Umbelliferas v. c. pro uno genere naturali habeam, cum omnes minus inter se differant, quam singula species *Valerianae* vel *Rhamni.* Characterem naturalem genericum Icosandriae, Didynamiae, Tetradynamiae, Monadelphiae, Diadelphiae, et Syngenesiae ipse dedisti in „Generibus Plantarum". Idem facile praestabis pro Umbelliferis, Stellatis, Liliaceis, Orchideis, Polystemonibus polyangiis, Caryophylleis etc., si haec genera naturalia ad Classes qualescunque retuleris, quae nullo modo naturales esse possunt, nisi tot fierent Classes, quot sunt genera, et ne sic quidem. Genus naturale potest ob eandem indolem, et plurium partium convenientiam pertinere ad duas Classes artificiales ex numero staminum, et *Euonymus* stare simul in Tetrandris et Pentandris, nisi Classem feceris posteriorum. Unum genus, imo eadem, species hominum militat in diversis Classibus Ruthenicis, et Turcicis. *Arenaria rubra* et forte *Spergula arvensis* posset tuto quaeri, et inveniri, tam in Pentandris, quam in Decandris, nec ideo mutaretur genus, vel species. Si omnes feras conjungerem in unum genus, non id facerem sub nomine Canis, adeoque Erinaceus non foret Canis, sed fera, ut ipse canis; nec Lupus foret Canis, sed fera, et fera Vulpes etc., uti fuerunt etiam ante Romulum et Remum. Verbo dicam, vellem pro singulis speciebus nomen proprium distinctum, et genera non ob levem quamvis differentiam unius alteriusve partis divulsa. Cogeremur sic veras, et adaequatas differentias specificas exhibere, nec latibulum inveniretur in vago nomine generis, cujus character saepe ex unica specie desumtus fuit. Omnes species debent constituere genus, et genus debet continere omnes species. Nisi itaque prius stabiliatur, et intelligatur genus, nunquam scire potero, an species data sit hujus vel illius generis. *Cervaria Rivini* sine omni dubio est Umbellifera, sed ex tua definitione profecto non est *Atamantha. Stachys recta* eadem planta erat, cum esset *Betonica,* ac nunc est, cum sit *Stachys;* sed semper fuit, et semper erit ex genere Verticillatarum, sive Tetradynamiae gymnospermae; et hae omnes aut unum constituunt genus, aut tot sunt genera, quot species: parum enim abest, quin pari modo differant, et

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at



pari modo conveniant. Quaeram *Salviam* et *Rosmarinum* in Classe Diandria, si volueris, sed hoc non obstat, quominus etiam has ad genus naturale Verticillatarum referam. Stamina duo, et quatuor servant proportionem geometricam. *Echium* differt staminibus ultra proportionem quinque, situ florum, et foliorum, toto habitu, ac indole inodora, et insipida. Ad distinguenda genera omnes partes componentes, et ipsam substantiam considero. Plantam Monocotyledonem alius esse generis quam Dicotyledonem, nemo dubitat, etsi haec differentia desumatur tantum ex foliis. Statua lignea hominis affabre facta, et machina quadam abscondita mota, non est homo. Verticillatarum seu Labiatarum species cognosco, quot quot Rivinus depictas dedit, praeterea paucas. Si omnes ita pictae et descriptae essent uno volumine, hoc non excederet modum, et intra mediam horam id volvendo inveniretur planta, circa quam ex distinctione plurium generum per annos dubius haesi, et haerebo forte semper. Attamen Tuum Systema iterum iterumque assero esse omnium, quae hactenus excogitata fuerunt, optimum, nec id, nisi forte Tecum, unquam relicturus sum. Nihil desidero praeter specierum succinctas descriptiones, et bonas icones, tum justas citationes earum, quae exstant. Sed cum videam v. c. pro *Salvia Africana* allegari iconem Pluken. Tab. 301, Fig. 2, quae pertinet ad *Salviam Canariensem,* non possum non suspensus, et impeditus sistere gradum. Involucra Umbellatarum eo minus pro calyce habere possum, quo magis nonnullae manifesto, et pleraque obscuro calyce proprio gaudeant, nec involucra in omnibus adsint, minime autem, ut in Syngeneticis, stamina includant. *Stellaria biflora* mihi manebit ignota, donec plantam, aut veram ejus iconem viderim. Quaeris, quo referas *Stellarias petalis semibifidis?* respondeo, ut in prioribus litteris dixi: ad *Stellarias.* Sed petala integra, aut forte tantillum emarginata in *Arenaria,* Amoen. Acad., I, p. 158, non sunt semibifida.

*Hieracium villosum* in Alpibus nostris saepissime est uniflorum, quod suo tempore etiam testabatur Clusius. *Hieracium alpinum* Jacquini a vestro certe est diversum.

*Viciam Militantem* Tibi exhibebit Dus Ferber.

*Thalictrorum* notitiam dies dabit, si prius quinque species Scandinavicas ita illustraveris, ut extra omne dubium posita sint.

*Selinum palustre* mihi est *Tysselinum angustifolium* Rivini, cujus folia tamen melius picta sunt apud Moris., Umbell., Tab. 10. Non dixi, hanc plantam non lactescere, sed *Selinum Sylvestre,* lacte turgens, mihi esse ignotum, etsi non forte idem?

*Gentiana major purpureo flore I* Clusii, flore nunquam, sed calyce interdum quinquefido, mihi optime nota est. Hanc Tibi puto esse *punctatam.* Sed non potest esse *Gentiana* Halleri, Hist., Nr. 638, ubi frustra citat Jacquinum, si recte describit plantam; nec *Gentiana* Nr. 639, ob calycem itidem spathaceum. Si Tua purpurea similem habet calycem, certe non est eadem. *Gentiana lutea* a nostra Clusiana differt corolla rotata, nec campaniformi, ut potius forte pertineat ad genus *Swertia? Punctatam* Clusii non vidi, nisi siccam. Videtur esse a *purpurea* ejusdem diversa. *Purpuream* calyce spathaceo plane

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at


non novi. Sunt, ni fallor, praeter *luteam*, duae *punctatae*, et una *purpurea* sine punctis. Vidi etiam siccam aliam *Gentianam* flore luteo, quae forte aliquando faciet speciem quintam. In *lutea* vulgari flores pedunculati sunt, in hac erant sessiles. Illam Tyrolenses vocant *Gentianam* magnam; hanc etsi haud minorem, simpliciter luteam.

*Allium Ursinum* nunc floret abunde. Tertius Scapi angulus obtusior est reliquis duobus, oblique positus ad latus tui Semicylindri.

*Amaryllidem Belladonna(m)* quaesivi inter *Hemerocallydes*, quia spatham consideravi, ut bracteam.[1]) Liliaceae sua natura calyce carent.

*Leontodon* Austriacum *paludosum*, et alias quasdam stirpes Tibi lubenter mitterem, si occasionem haberem. Semina *Anastaticae Syriacae* jam misit Dus Jacquin, unde natam videbis plantam.

*Adonis vernalis*, quae nuper defloruit, saepe multiflora est. Possem monstrare specimen recens lectum cum quinque floribus. Nondum itaque mihi constat de differentia Apenninae. Diversum forte florendi tempus mihi sufficeret.

*Ajuga genevensis* quomodo differat ab *alpina*, nescio.

Si *Cycas* vere *filix* est, ex numero *Filicum* eam non excluderem; sed si non est *filix*, ad *Filices* non referrem.[2]) Nimis ipse delector plantis exoticis, et poenitet me nescire, quid sit *Ipecacuanha, Jalappa, Pareira brava*, etc.

*Potentillam nitidam* indicam ipsa radice, et omnibus foliis radicalibus. Iconem ejus pulchram nuper dedit Schmiedel in operibus Gesneri. *Potentillae aureae* bonam iconem ipse exhibuit Hallerus, eamque distinxit a *Potentilla verna*, quid itaque Tibi habuit exprobrandum? stipulis, si recte memini, differt a *verna*.[3]) Sit varie cui placuerit: et dici posse, et vix potuisse probari. Dus Scopoli valde novitatibus studet, et imitando Adansonium paradoxa sectatur.

Medium tenuere beati; inter quos ut vivas diu, voveo.

Vindobonae, die 17. Maji, 1771.

Hodie florentem vidi *Clypeolam maritimam*. Caules minime erant prostrati: pedunculi solitarii ex alis foliorum superiorum, his breviores, meliorem praebent notam diagnosticam.[4])

Folia arborum hoc anno misere lacerat *Scarabaeus Melolontha*. Statim post nives solutas Mense Aprili prodibat *Cimex apterus*, cum nullum adhuc appareret vestigium malvae.

---

[1]) Linnaei, Mant., II, p. 363.
[2]) Ibid., p. 305.
[3]) Ibid., p. 400.
[4]) Ibid., p. 426.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at



# Supplementum.

## A.

### Plantae Austriacae

à Nobilis. de Mygind acceptae, quae Illustr. Linnaeo mittuntur.

(Ad epistolam III. pertinet.)

1. *Thlaspi montan.*, idem illud ex monte Badensi de quo Clusius loquitur, cujus folia cum descript. Illustr. Linnaei non conveniunt.
2. *Salvia*, quae inter *Salv. disermas, verbenacam*, et *haematodes* quasi media est. Quaenam igitur Illustr. Linnaeo?
3. *Rosa Sylvestris pumila* C. B. apud Illustr. Linn. non invenienda, nisi, ejus sit *Rosa Gallica*. An ita?
4. *Inula britannica*, foliis lanceolatis, subhirsutis, et sub integerrimis, inferioribus in petiolum longe decurrentibus ipso petiolo basi iterum dilatato et caulem amplectente; superioribus sessilibus et vere amplexicaulibus; calycis setaceis, semiflosculis radii tridentatis. N. Ab *Inula Oculo Christi* calycis structura praecipue distinguitur. An Tabernaemontani Hist., 2, p. 51, *Aster flore luteo?* vel quaenam est?
5. *Inula hirta*, omnino plerumque uniflora, sed tamen (quod observandum) interdum, quamvis rarissime, nostra aetate ramosa deprehenditur, floribus inferioribus altioribus, qualem Clusius et Ill. à Linné illam descripserunt. Numne Clusius eam cum *britannica*, quam alias non tangit forsan confudit et utramque pro eadem habuit?
6. *Inula Oculus Christi*, a *montana*, uti apparet, parum diversa; haec enim occurrit majori flore quidem varia, sed non uniflora, nec calyce breviore aut magis imbricato, quin potius magis folioso.
7. *Campanula glomerata*. Numne cum *Cervicaria* eadem?
8. *Rosa eglanteria* Auctorum, minime autem Ill. Linnaei, qualis igitur?
9. *Geranium* Vaill., 79, Tab. 15, Fig. 1, sed non *rotundifolium* Linnaei. Quodnam igitur?
10. *Veronica fruticulosa* Jacq. nempe *Veron. saxatilis* J. B. cum *alpina* non confundenda.
11. *Cheiranthus Erysimoides* Jacq. in Enumerat. et *Erysimum Cheiranthoides* Cranzii.
12. *Rosa alpina*, cur in S. N. omissa?
13. *Orobus 1* Krameri non apud Illust. Linn. invenienda. Qualis est?
14. *Lychnis sylvestris X.* Clusii, varietas foliis minoribus. Quaenam Ill. Linn.?
15. *Digitalis* laciniis corollae acutis, labio super. repando emarginato, foliis oblongis, basi angustatis. Crescit in Alpe Schneeberg Austriae. An sola varietas *Digitalis luteae?*

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at


16. *Myagrum saxatile.*
17. *Melampyrum* flor. spars. sessile, binatis, foliis super. incisis. Haller, Helv. 627 (error pro 626, Flatt), edit. 1. Quale Ill. Linn.?
18. An *Daphne Cneorem* vel *gnidia* oppositifol.?
19. *Ajuga pyramidalis* Austriacorum, quam pro una eademque cum *genevensi* habent.
20. An *Arenaria fasciculata?*
21. *Tithymalus Characias 3us* Austriac. Clusii, et C. B. non est *Euphorb. Characias* Linn. sed quaenam?
22. *Euphorbia,* an *pinea,* an *Esula?*
23. *Euphorbia* caule multoties dichotomo, foliis rhombeo-cordatis, oppositis, sessilibus. Flores solitarii ex dichotomia. Quaenam?
24. *Arenaria,* an *multicaulis,* an *ciliata?*
25. *Cytisus VII.* Clusii, quinam Ill. Linn.?
26. *Cytisus VII.* Clusii, quoad descriptionem, quinam Ill. Linné?
27. *Cytisi VIImi* species altera Clusii, quae forte varietas est *Cytisi VIImi* ejusdem in umbrosis nata, sed certius erit, at videtur, eam cum Clusio distinguere. Qualis Ill. Linn.?
28. *Cytisi Vti* species altera Clusii, quaenam?
29. *Cytisus,* quem Austriaci pro *Cytiso hirsuto* habuerunt, sed est *Cytisi Vti* spec. altera Clusii, planta Austriaca, diversa ab hispanica seu *Cytiso hirsuto* Linn., qui est *Cytisus III* Clusii, quamvis ille folia nimis acuta pinxerit. Reliqua conveniunt.
30. *Cheiranthus sylvestris,* caule simplicissimo, foliis lineari-lanceolatis, integerrimis. *Leucojum sylvestre* Clusii, Hist., 1, p. 299. Cranzius hanc putat esse varietatem *Cheiranthi Cheiri,* sed tantum abest, ut ramos habeat angulatos, quin potius nullos omnino unquam ostendat. Quaenam est Ill. Linné?
31. An varietas insignis sylvatica *Senecionis Jacobeae?*
32. *Crepis:* an *biennis,* an *tectorum?*
33. *Absinthium austriac. tenuifol.* Clusii, qui sine dubio bene cognoverat *Absinth. maritimum,* et tamen hoc ab illo distinxit. An igitur esse potest *Artemisiae maritimae* varietas, ut Kramero et Jacquino visum fuit?
34. *Serratula tinctoria,* omnino, sed NB. folia omnia integra nec lyrato-pinnatifida.
35. *Carduus tuberosus* Jacquini.
36. *Gramen* Halleri, Histor. 1381, quale Ill. Linn.?
37. *Atriplex,* at putant Austriaci, ab Ill. Linn. praetermissa. Aut quaenam est?
38. *Trifolii* nova species: Halleri, Hist., p. 164, Nr. 378.
39. *Carduus,* quem Austriaci semper pro *C. Crispo* L. habuerunt, quoniam cum descriptione J. B. convenit, etiam cum icone et praecipue cum icone Lobel. a Bauh.: allata p. 11, p. 21 Lob. Sed cum Ill. a Linné, in nota ad *Carduum polyanthemum, Carduo crispo* folia tribuat subtus albo tomento obducta, planta austriaca haec esse nequit, nec vero simile eandem

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at



esse *Carduum polyanthemum* illum Romanum, cum austriaca sit omnium vulgatissima, ut *Carduus* viarum merito dici posset.

40. An *Alyssum halimifol.* Linn.?
41. *Iberis* quae ad *pinnatam* Ill. Linn. aliquomodo accedit vel forsan propius ad *odoratam.* Quaenam est?
42. *Genista orientalis Linariae foliis auritis* Tournefort: Coroll., p. 44? Planta, quae Ill. Linn. forsan haud cognita est, nisi sit ejus *Genista florida,* id quod quaeritur?
43. An *Sisymbrium Irio?*
44. *Teucrium IV.* Clusii! An *Veron. latifolia* Linn.?
45. *Veronica longifolia* quoad Synonyma Clusii. An haec ipsa est *V. longifol.* Linn.?

## B.

***Houstoniae*** Species, foliis inferioribus ovatis, trinervibus, ramorum linearibus; umbellis terminalibus; corollis semiquadrifidis; laciniis subacutis.[1])

Radix — — — — — — — — — — — — — — — —

Caulis tetragonus, sulcatus, ab imo ramosus, uncialis vel biuncialis, erectus: Rami simplices, etiam tetragone, altitudine caulis, vel altiores.

Folia opposita, caulina inferiora ovata trinervia, ramorum linearia, internodiis aequalia, vel longiora, sessilia, glabra, nitida, nervo medio subtus carinata erecto-patentia.

Flores in umbella pauciflora terminali, pedunculis brevissimis.

Calyx monophyllus, quadridentatus.

Corolla infera monopetala, infundibuliformis, dilute purpurea: tubus calyce triplo longior superne ampliatus: limbus quadripartitus, laciniis ovato-lanceolatis, patentibus, tubo non nihil brevioribus, trinervatis, ut in *Asperula Cynanchica.*

Stamina: Filamenta quatuor in collo, et totidem Antherae in fauce Corollae.

Pistillum: Germen subovatum in fundo tubi; Stylus simplex et Stigma bifidum.

Fructum non vidi. Planta inventa fuit in Alpibus Austriae Schneeberg, Mense Julio, florens inter Muscos.[2])

Franciscus à Mygind,
Caesareae Majestatis Consiliarius Aulicus.

---

[1]) Ad epistolam III. pertinet.

[2]) Est *Asperula Neilreichii* Beck. Conf. C. de Flatt, „Zur Geschichte der *Asperula Neilreichii* Beck" in Verhandl. der k. k. zool.-botan. Gesellsch. in Wien (1895), S. 353.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at



# C.

## Observationes Critico-Botanicae

Illustriss. De Mygind, Consiliar. Caesar.[1])

1. *Stellaria biflora* Linn. est vera *Arenaria* petalis integerrimis. Datur vero *Stellaria* huic similis: petalis profunde bifidis et radicibus caulibusque repentibus.
2. *Gentiana nivalis* Oederi vix est Austriaca Jacquini, sed potius nov. spec singularis.
3. *Hierac. alpin.* Linn., cum fig. Oederi non convenit propter multitud. et integrit. folior. sed *Hierac. villos.* Linn. cum fig. magis congruit.
4. *Vicia Lathyroid.* Linn., ab Oedero male picta sine cirrhis.
5. In fig. Oederi *Orchis ustulata* ponitur pro *Ophryde anthropomorpha.*
6. Fig. Oederi *Primulae farinosae* mala. Clusii melior.
7. Fig. Oederi *Lepidii ruderalis* cum plant. Austr. non convenit.
8. *Thalictr. minus* Oederi hoc non est, sed potius forte *Thal. simplex* Linn.? nam *Thal.* Linn. quoad Synonyma non habet fol. 6-partita.
9. *Mnium fontan.* Linn. et Oederi cum fig. Vaillantii non convenit.
10. *Silene nutans* Oederi cum defin. vera Linn. non convenit propter flores secundos.
11. *Sii latifol.* fructus ab Oedero male pictus.
12. *Selini palustr.* fructus ab Oedero male pictus.
13. *Phalar. arundinacea* florens paniculato diffusa est, dein sicca contrahitur
14. *Bromus arvens.* male ab Oedero spicis muticis pingitur.
15. *Ver. fruticulosa* Oederi, *austriaca* Jacq. non est, forsan *helvetica* Halleri
16. Tab. 391 Oed., pro *Acrostico ilvensi* posita puncta *Polypodii* habet.
17. *Alsinem mediam* Oeder facit decastemonem. Icon praeterea mala.
18. *Sideritis montana* in saxosis semper erecta, in pratis procumbit (Mant. II, p. 410).[2]) Sic etiam *Stachys annua* (Mant., II, p. 411).
19. *Morinda Royoc.* praebet et baccis et cortice americanis atrament. nigrum
20. *Verbascum Thapsioides* Linn., non est illa austriaca Johannis Bauhini in Synonymo adducta.
21. Circa *Solan. campechiense* et *virginian.* icones Dillenii transpositae sunt
22. *Rhamnus cathartic.*, stirps mascula habet fol. rotunda, obscure viridia petiolo. breviora nervis oblique transversal. Stirps foemin. habet fol laetius virentia petiolo longiora nervis longitudinalibus.
23. *Ceanotus* (sic!) *african.* Linn., *Alaternus cristatus* aliquorum et *Rhamnus alaternus* Linn. eodem charactere gaudent, ideoque proprium genus con-

---

[1]) Annotationes Linnaei propriae.

[2]) Citationes Mantissae ego annexui. C. de Flatt.

© Zool.-Bot. Ges. Österreich, Austria; download unter www.biologiezentrum.at



stituerent et a *Rhamno* pistillo 3-plici et squamarum corollae defectu differunt (Mant., II, p. 342).

24. *Chenopod. alb.* Linn., a *viridi* vix differt.
25. *Gentiana verna* non 2 stigmata sed unicum magnum orbiculare habet scutelliforma concavum, vix amara cum *Primula* magis convenit (Mant., II, p. 348).
26. *Gentiana major purpurea* C. B. non est *purpurea* Linn., sed nova species.
27. *Astrantia minor* non bene determinata est.
28. *Bupleurum Leporinum* ubi in S. N. occurrit?
29. *Daucus visnaga.* Pedunculi umbellae adulti. Turcis inserviunt ad purgandos dentes.
30. *Caucalis maritima:* umbellis bifidis, vix est varietas *Dauci muricati.*
31. *Seseli elatum* Linn., cujus sem. missa fuer. Upsaliam sub dubio hoc Titulo: An *Apium montanum fol. tenuiore* C. B., cum jam. Linn. hoc Synon. pro suo *Seseli elato* retinuerit, plantam austriac. esse dixerit et eam in horto U. coluerit, verosimile est, plantam eandem esse, quam Cranzius optime descripsit sub nomine *Seseleos pratensis* et quam Rajus olim in Synopsi, ed. 2, p. 69, vindicaverat et a *Silao* non diversam esse demonstravit, unde sequitur *Peucedanum Silaum* nihil esse, quam hoc ipsum. Cum autem *Peucedani* charact. non conveniat sed ver. *Seseli* sit, male ab Hallero in H. Helv., Nr. 797 ad *Peucedanum* trahitur. Fictum illud *Peucedan. Silaus* autem natum est ex confusione hujus plantae et *Peucedani Alsatici*, quod omnino est verum *Peucedanum.* Austriaci asserunt Linn. plantam bene descripsisse, nisi quod folia glauca facit, quae profunde satis sunt viridia. Flosculi autem quo magis solum humidum est, eo magis lutescunt, quo siccius eo magis albescunt.
32. *Seseli pumilum* re ipsa dioicum est, sed est re vera *Pimpinella.* An *Pimpinella glauca* Linn., et Halleri diversa est ab hoc *Seseli pumilo?* Huic quaestioni satisfiet, si quis observaverit *Pimpinellam glaucam* dioicam vel non dioicam esse? (Mant., II, p. 357.)
33. *Seseli Ammoides:* an vere petioli omni membrana sunt destituti?
34. *Veron. fruticosae* optimam fig. Joh. Bauh. sub nomine *Veron. saxatilis* dedit, quae figura male ad *Veron. Alpinam* refertur. Halleri *Veron. fruticosa* flore carneo planta est ab *austriaca* flore coerul. plane diversa (Mant., II, p. 316).
35. *Ligustri* varietas foliis toto anno persistentibus et virentibus in Austria reperitur, quae potius diversa species esse videtur.
36. *Drypis spinosa.* E ramis annuis arefactis sequenti anno novi rami excrescunt (Mant., II, p. 359).
